In Dei nomine. Noverint universi. Quod ego Peregrina, commorans Barchinone, filia Bernardi Bossii et domine Sancie eius uxoris, parrochie de Cerdania(?), sciens et asserens iuramento per me infra prestito me etate quindecim annorum et amplius plenarie excessisse, gratis et ex certa sciencia, de consensu tamen et voluntate dicti Bernardi Bossii patris mei presentis, vendo et ex causa vendicionis concedo vobis Petro Riuira(?), notario civi Barchinone, et vestris et cui sive quibus volueritis, perpetuo, Totum illud censuale quatuor morabetinorum, firma fatica, directum et quodlibet aliud ius quod et que ego habeo et percipio et habere et percipere debeo in et super tribus quintanis terre et iuribus et pertinenciis suis quos Bernardus(?) Sabater(?) Lambard(?) et Antonia eius uxor que fuit filia Bernardi olim(?) quondam civis Barchinone ad censum trium morabetinorum et super quadam quintana terre et iuribus suis que Petrus Vitalis cultor civis dicte civitatis ad censum unius morabetini annuatim persolvendorum in festo Pasche resurreccionis Domini habent et possident in orta Sancti Pauli ultra Riaria que ibi est et tenent per me et ego predicta teneo per ecclesiam Sancti Michaelis Barchinone et eius rectore suo nomine et sub dominio et alodio suo ad censum septem solidorum Barchinone annuatim persolvendorum in dicto festo. Et terminantur dicte quatuor quintane terre qui sunt contigui ab oriente in tenedone Guillelmi Ferrarii(?) ortolani, a meridie in tenedone heredum Bonanati Busqueti(?) quondam, ab occidente in alia tenedone dicti Petri Vitalis quam tenet per me que ea teneo per venerabilem Raimundum de Gualbis et a circio in carraria publica. Item vendo et ex causa vendicionis concedo vobis dicto Petro Riuira et vestris Totum ipsum censuale duorum morabetinorum, firma fatica, directum et quodlibet aliud ius quod et que habeo et percipio in et super duabus quintanis terre et iuribus suis quas Bernardus Pontii(?) ortolanus Barchinone habet et possidet in dicta orta Sancti Pauli et tenet per me, ad dictum censum duorum morabetinorum quolibet anno persolvendorum in dicto festo Pasche, que habere teneo per dictam ecclesiam et eius rectore suo nomine et sub dominio et alodio suo ad censum octo solidorum dicte monete annuatim in dicto festo persolvendorum. Et terminantur dicte duo quintane terre ab oriente in Riaria Sancti Pauli, a meridie in alia tenedone dicti Bernardi Pontii, ab occidente in tenedone den Sera(?) de Boix que fuit dena Mestra et a circio in tenedone heredum dicti Bonanati Busqueti quondam. Et est sciendum quod predicta que vobis vendo spectant ad me racione legati michi facti per dominam Peregrinam quondam que primo fuit uxor Petri de Bosco quondam et postea Guillelmi Carleti(?) quondam marinarii Barchinone heredemque sive successorem abintestato Piconi(?) de Bosco quondam filii communis sibi et dicto primo marito suo in suo ultimo testamento quod ipsa domina Peregrina fecit in posse Raimundi de Forest, auctoritate Regia notarii publici Barchinone, vicesima secunda die Marcii anno a Nativitate Domini Millesimo Trecentesimo Septuagesimo Nono et eciam quibusdam aliis racionibus sive causis. Et est eciam sciendum quod pro quolibet dictorum morabetinorum dantur et solvuntur novem solidi Barchinone iuxta constitucionem et ordinacionem a domino Rege factam super solucione morabetinorum censualium Barchinone. Hanc autem vendicionem facio vobis et vestris et quibus volueritis perpetuo de predictis sicut melius dici potest et intelligi ad vestrum vestrorumque salvamentum et bonum intellectum. Et extraho predicta que vobis vendo de iure dominio et posse meis et meorum, eademque in vestrum vestrorumque ius dominium et posse mitto et transfero irrevocabiliter pleno iure ad habendum tenendum atque in sana pace perpetuo possidendum et ad faciendum inde vestras in omnibus liberas voluntates sine contradiccione et impedimento mei et meorum et alterius cuiuscumque persone. Convenientes et promittens vobis quod de predictis que vobis vendo tradam vobis corporalem possessionem seu quasi. Predicta ex causa huiusmodi vendicionis do cedo et mando vobis et vestris et quibus volueritis perpetuo omnia iura et omnes acciones reales et personales mixtas utiles et directas ordinarias et extraordinarias et alias quascumque que michi competunt et competere possunt aut debent in predictis et contra quascumque personas et res racione eorum. Quibus iuribus et accionibus possitis vos et vestri et quos volueritis uti et experiri agendo respondendo deffendendo excipiendo et replicando et omnia alia faciendo in iudicio et extra iudicium quecumque et quemadmodum ego poteram ante huiusmodi vendicionem et cessionem et possum nunc et eciam postea quandocumque. Ego enim facio et constituo vos in hiis dominum et procuratorem in rem vestram propriam ad faciendum inde vestras in omnibus liberas voluntates. Salvo tamen semper tamen super predictis que vobis vendo quod super dictis quintanis terre dictis censibus viginti quatuor solidorum et al(?) iure dominio et fatica triginta dierum dicte ecclesie Sancti Michaelis et sui rectoris eius nomine. Et salvo et laudimio pro predictis dicte ecclesie competenti. Quod laudimium est secundum pronunciacionem arbitralem domini Regis et venerabilis Episcopi Valentini super hoc latam. Quinta pars tocius precii quod recipit emphiteota immediato habitus pro vendicione vel alia alienacione de qua consueuit laudimium recipi que per eum fiet. Et tercia pars quinte partis tocius precii quod recipit emphiteota mediato habitus pro vendicione vel alia alienacione de qua consueuit laudimium recipi que per eum fiet et non ultra. Et de stabilimento quarta pars eius quantitatis que emphiteota stabilienti habuit pro intrata ubi nullus est mediatus. Et quarta pars quinte partis ubi sunt emphiteote mediati unus vel plures post immediatum. Pro precio vero predictorum que vobis vendo dedistis et solvistis michi et ego confiteor me a vobis habuisse et recepisse viginti sex libras dicte monete. Super quibus renuncio excepcioni peccunie non numerate et precii predicti non habiti et non recepti et doli mali atque in factum accioni et legi que subvenit deceptis ultra dimidium iusti precii et omni alii iuri racioni et consuetudini contra hec repugnantibus. Donando et remittendo vobis et vestris et quibus volueritis perpetuo donacione irrevocabili inter vivos siquid predicta que vobis vendo plus modo valent aut deinceps valuerint precio supradicto. Insuper convenio et promitto vobis quod predicta que vobis vendo faciam vos et vestros et quos volueritis habere tenere et possidere in pace perpetuo contra omnes personas et quod tenebor vobis et vestris semper de firma et legali evictione eorum eciam iuxta precium inter me et vos initum in hunc modum quod si forsan aliqua persona faceret et moveret vel movebit contra vos vel vestros aliquo tempore aliquam accionem questionem peticionem vel demandam iuris vel facti in iudicio vel extra iudicium aut aliter in predictis que vobis vendo vel in aliqua parte ipsorum seu racione aut occasione eorundem. Convenio et promitto vobis quod ego incontinenti cum a vobis vel vestris inde fuero requisita opponam me deffensioni vestri et vestrorum et quod pro vobis et vestris respondebo et satisfaciam cuilibet inde de vobis vel vestris querelanti et quod in principio litis sive litium suscipiam in me onus litigii et agam et ducam causam seu causas ipsas meis propriis sumptibus et expensis a principio usque ad finem et usque ad totalem perfeccionem eiusdem. Vel vos aut vestri si volueritis possitis ipsam causam seu causas agere et ducere per vos ipsos et hoc sit in eleccione vestri et vestrorum. Ego enim remitto vobis et vestris quantum ad hec necessitatem denunciandi gratis et ex certa sciencia et ex pacto. Et si vos aut vestri elegeritis agere et ducere ipsam causam seu causas in propria persona, convenio et promitto vobis quod restituam et solvam vobis vel vestris indilate omnes missiones et expensas que circa litem vel lites et extra litem seu lites fient et quicquid et quantum a vobis vel vestris evictum fuerit de predictis simul cum omni dampno et interesse vestri et vestrorum sive obtineatis in causa seu causis sive eciam succumbatis et quod super predictis omnibus et singulis servabo vos et vestros penitus indempnes. Super quibus missionibus et expensis dampno et interesse credatur vobis et vestris plano et simplici verbo nullo alio probacionis genere requisito. Et pro predictis omnibus et singulis complendis et firmiter attendendis obligo vobis et vestris omnia bona mea mobilia et immobilia habita et habenda. Promissa igitur omnia et singula facio, paciscor et promitto ego dicta Peregrina pro me et pro omnibus heredibus et successoribus meis de consensu et voluntate dicti Bernardi Bossii patris mei vobis dicto Petro Riuira et notario infrascripto tanquam publice persone hec a me nomine vestro et omnium illorum quorum interest et intererit recipienti et paciscenti ac legitime stipulanti. Et eciam non vi nec dolo sed sponte iuro in animam meam per dominum Deum et eius sancta quatuor Evangelia manibus meis corporaliter tacta predicta omnia et singula attendere tenere et complere et in aliquo non contrafacere vel venire aliquo iure causa vel eciam racione et beneficium restitucionis in integrum non impetrare pretextu minoris etatis aut alterius cause virtute cuius iuramenti fateor me dictam etatem quindecim annorum et amplius plenarie excessisse. Ad hec ego dictus Bernardus Bossii predictis omnibus et singulis tanquam actis et gestis de consensu et voluntate meis expressis consencio. Actum est hoc Barchinone octava die Marcii anno a Nativitate Domini Millesimo Trecentesimo Octuagesimo primo. Sig+num Peregrine filie dicti Bernardi Bossii predicte que hec laudo firmo et iuro. Sig+num Bernardi Bossii predicti qui predictis consencio et ea laudo et firmo.

Testes huius rei sunt Guillelmus Caboty(?), porterius domini Ducis, Bernardus Degany(?) sutor et Petrus Martini scriptor, cives Barchinone.

Ego Guillelmus de Molis(?) rector ecclesie Sancti Michaelis Barchinone hoc firmo racione dicti iuris directi dominii dicte ecclesie et eius rectoris in omnibus semper salvis.

Sig+num Raimundi de Forest, auctoritate Regia notarii publici Barchinone, qui hec scribi fecit et clausit cum rasis et emendatis in linea [illegible] ubi dicitur [illegible].

Pag. 19

Empcio p[er] conu[en]tu ne[illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] q[ui]ntans terre sive vinea [illegible] [illegible]

104